

**Acoluthiam compendiariam de falsis miraculis ... / disputationis publicae
locum obtinere jubebit praeses C. Sonntagius ... respondente J. Pyroldto.**

Contributors

Pyroldt, Johann.
Sonntag, Christoph, 1862-1919.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorf : J.W. Kohlesius, 1715.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ekmmh7em>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(9)

ACOLVTHIAM COMPENDIARIAM
DE
FALSIS MIRACVLIS

ALTDORFI D. XXIII. MART. MDCCXV
DISPVATIONIS PVBLICÆ LOCVM OBTINERE
IVBEBIT

PRÆSES

CHRISTOPHORVS SONN-
TAGIVS,

SS. THEOL. D. EIVSDEMQUE PRIMARIVS
ET GRAECÆ LINGVÆ PROFESSOR, ECCLE-
SIAEQVE OPPIDANAE ANTISTES,

RESPONDENTE

IOHANNEPYROLDTO
SVOBACENSI,

ALTORFI
LITERIS IODOC, GVILIELM. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

PER-ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
BARONI AC DOMINO,

DOMINO

ALBRECHTO IOHANNI
WOLFFGANGO WOLFFS-
KEELIO

S. ROM. IMP. LIBERO EQVITI
AB ET IN REICHENBERG AD LINDFLVR
ETC. ETC.

SERENISSIMO MARCHIONI
ONOLDO-BRANDENBVRGICO A CONSILIIS
AVLICIS GRAVISSIMIS,

Μητροπόλεως SVOBACENSIS PRÆFECTO SVPREMO &c.

DOMINO SVO GRATIOSO,

SPECIMEN HOC ACADEMICVM OBSEQVIOSISSIME
CONSECRAT ET DEDICAT

58700(6)



IOH. PYROLDT. SVOBAC.
RESPONDENS.

INTROITVS.

Inter illas DEI Trinunius actiones, quas sanctiorum subselliorum Magistri actiones ad extra, & quidem emanantes s. transeuntes vocitant, quasque immanentibus contradistingvunt, imo quas jam potentia, jam misericordie, jam iustitie divinae actiones esse docent, numerantur, & ad providentiam DEI extraordinariam, qua ille supra & contra institutum a se ordinem operatur, referuntur etiam MIRACULA. Circa hæc, quæ pie ac devote suspicere, admirari ac venerari divina revelationi convenienter decebat, mirifice tum recentiorum curiositas, tum veterum, cum primis Pontificiorum, perversitas erraverunt. Pomponatius autumavit, per vires naturales excitari posse mortuos. Hobbesius perinde, ac Spinoza, censuit, miracula esse opera naturæ insolita, à vulgo saltem miracula dicta, fierique ex naturæ legibus ordinariis, & non contra naturam, quorum causas naturales saltem explicare non omnes possint, verum soli illi, qui Magiæ naturalis sint conscii; interim neque existentiam, neque essentiam, neque providentiam DEI ex iisdem posse cognosci. Peyrerius tenebras in morte Domini factas, stellam, quæ apparuit Magis, miraculum Hiskie ægrotantis, solis tempore Josuæ stantis, aliæque ex causis naturalibus deducere allaborat. Sed et ex Anglia Bernhardum Connor Medicum his associat D. Grapius Theol. rec. contr. contin. p. 59. eo, quod naturam miraculorum juxta motus leges & Medicinæ principia investiget, docens, humana mente utique concipi posse modum, quo producantur miracula, nempe ex motibus s. legibus naturæ suspensis. Associat Nehemiam Grew, miracula quamplurima nimis extenuantem, nec non Williamum Fleetwoodium, Concionatorem Regium anticum, miracula quædam per quendam naturæ cursum fieri posse, afferentem. Quam late patuerint inde usque a tot seculis pro conservando regno Papistico officinæ miraculorum emulatrices, & excogitata iνενήματα, n. historia testis temporum abunde docet. Posteaquam igitur Bellarminus Contr. lib. 4. de not. Eccl. cap. 14. inter accumulatas Ecclesiæ notas, quibus Eccium & alios sui coetus homines nimium quantum superavit, etiam MIRACULA recensitum ivit, & falsatio, seu mavis, corruptio doctrinæ de miraculis longe lateque serpens, passim confutata in Scholis Nostratum legitur; acoluthiam didacticam, eandemq. succinctam & compendiarium, hoc est, ordinem ac methodum, seu mavis, brevem antecedentium & consequentium nexum atque coherentiam, qua evidentius in apparando hoc elencho uti liceret, ut paucis Juventuti in hac, quam ἐπι γένεσι θήκη dissertationucula ostenderem, equidem rogatus fui.

Μετὰ τὴν ἀνάγνυσιν τοῦ βιβλίου τούτου ὁ Θεὸς ἐλεηθεὶς ἔστω ὁφείλου!

SYLLABVS TOTIVS ACOLVTHIAE.

Criteria falsorum miraculorum, quibus illa subinde à veris atque divinis thaumaturgiis distinguuntur, cum primis sequentia, modo junctim, modo divisim obvia, deprehenduntur. Occurrunt quippe, dum ejusmodi gnorismata, vage & large accepta, pensitamus, 1) falsi Autores miraculorum falsaeque machinationes, inventiones, operationes Diaboli & organorum ipsius; 2) falsae relationes sive fictiones; 3) falsae doctrinae, quas Mirabiliarii tales confirmatumeunt; 4) falsae vires, unde miracula emanare putantur; 5) falsa proæresis sive intentio; 6) falsus sive præstigiatorius operandi modus; 7) falsus & evanidus pseudo-thaumaturgorum effectus.

DE FALSIS AVTORIBVS MIRACVLORVM.



Im miracula, pressius accepta, vocemus opera, naturæ vires excedentia, quæ Deus vel immediate, vel mediate, ad gloriam Nominis sui cum admiratione ac stupore agnoscendam, ad fidei doctrinæque suæ confirmationem, ad missionis vocationisve genuinæ probationem, ad regni Satanici destructionem, hominumque salutem æternam, edidit; non multum a nobis diffidebunt, opinor, illi, qui hæc aliquanto laxius describere malunt per effectus, naturæ cursum & aciem humani ingenii superantes, ad salutem hominum & illustrandam DEI gloriam productos; sicque adeo ipsammet creationem, conservationem & redemptionem humani generis cum *D. Bened. Aretio Problem. part. 1. loc. 9. p. m. 120.* huc retulerint. Autor eorum

eorum esse nequit Satanas, utpote θαυμάσια duntaxat, non θαύματα, mirabilia, non miracula producens. Hujus furfuris sunt *miracula Ethnicorum*, a *Valerio Maximo lib. 1. Dict. factorumque memorab. lib. 1. cap. 8.* recensita. Hoc pacto Actius Nævius Augur cotem, inspectantibus Rege Tarquinio & populo, secuit: Iunonis imago lacrymas & sanguinem effudit; Castor & Pollux bello Latino equorum sudorem abluere visi sunt; iidem bello Macedonico albis equis insidentes, Publio Vatinio Romam venienti nunciaverunt, Regem Macedonum eo die superatum fuisse; Vespasianus cæco visum, claudogradiendi vim reddidit. Simulacrum fortunæ & Junonis statua non semel locuta fuisse perhibentur; Serapis apud Ægyptios symbola dedit, quibus Dæmonas expelli rentur. *Miracula Turcarum* *Busbequius Epist. IV. Legation. referens*, scribit, se vidisse Monachum Turcicum, manum candenti ferro injicientem, orique inferentem sine læsione; Coenobiarcham in lacum extendisse pallium, in eoque sedentem, suaviter fuisse circumvectatum; eundem una cum vervece in ferventem & incensum furnum projectum, illæsum fuisse depromptum. *Miracula Judeorum*, seu magis, monstra miraculorum, quæ nostra etiam hac ætate auxilio Cabalæ suæ practicæ patrant, nunc attexo, quorum nullus pene est modus. Nixi enim præstigiis Satanae gloriantur, se mortuorum corpora, e sepulcris evocata, coram sistere, uxores foetu masculino gravidas reddere, malos spiritus inclamando hominis sibi adversantis necem accelerare, & alia admiranda peragere posse. *Miracula Ægyptiorum Magorum* ex cap. VII. Exodi innotuere. Et vero *Bielis* sententia super his extat, quod virgæ eorundem conversæ sint in serpentes, non phantastice, sed vere, vel collectione seminum per instantaneam applicationem causarum activarum naturalium, quarum vim & operationem Diaboli perspectam habuerint, vel aliter, permittente DEO, ut novas rerum species producerent. Enimvero absorbebantur a Mosis baculo, weil des allmächtigen Gottes Wunderwerck vernichtete des Satans

Blend: Werck. *Miracula hæreticorum* itidem ad hunc censum revocantur. Simon Magus per aëra volans, statuas alias immobiles movens, igne miscens, lapides animans, divinæ virtutis opinionem de se excitavit. Quin Prophetæ & ipse Antichristus miraculis sunt famosi. Donatistæ quoque Mirabilia dicti, ob miraculorum, quæ ediderunt, frequentiam. Montanistæ similem affectasse gloriam memorantur. Quorsum hæc? Ut liquidum evadat, Diabolum per sua organa concinnatis glaucomatibus ejusmodi sæpius fuisse gavisum. Quale instrumentum Satanicum Endorea quoque Pythonissa extitit, spectrum sub forma Samuelis evocans 1. Sam. XXVIII, 11. Ecqui ergo notam hanc Ecclesiæ Bellarminianam tuebuntur Romanæ Curiae subjecti? Si eam cum Ethnicis, Turcis, Judæis & hæreticis communem habet, ecqui Ecclesiæ propria erit? Ecqui ab hac inseparabilis erit, cum non sit omnium temporum? Ecqui miraculum ignis, contrectati ferri candentis, & morbi per panem eucharisticum sanati Baronius probabit? D. Nicol. Hunnius de *Apostas. Rom. Eccles.* p. 499. Ecqui tandem illi notæ cum locis Biblicis conveniet Deut. XIII, 1, 2, 3. Matth. XXIV, 24. Marc. XIII, 22.? Ubinam ergo locorum sunt mortui, quos Pontificii suscitant? Ubi leprosi, qui purgantur? Ubi cæci, quibus visus restituitur? Quin fides est ex auditu; signa autem infidelibus sunt data. Et vero approbatio Pontificis, quæ sua illi miracula suffultum eunt, partim suspecta, partim omnino invalida est.

DE FALSIS RELATIONIBVS & FICTIONIBVS MIRACVLORVM.

Quemadmodum Spiritus S. miracula Antichristi *σημεία καὶ τέρατα ψεύδους* appellat 2. Thes. II, 9. Apoc. XX, 24. & de spiritibus dæmonum asserit, quod signa faciant Apoc. XVI, 14: Ita diphtheris integris pleni sunt libri, narrantes portentosa, prodigia, miracula ementita & pseudonyma, de quibus in præsentia loquimur, fraudes, technas & imposturas; cuius rei exemplum allegatur, quod multi in adjurandis & expellen-

pellendis Dæmonibus nihil præstare & efficere queant, si quis, orthodoxæ religioni addictus, præsens adsit, non secus, ac olim irrita erant sacra paganorum & adjurationes dæmonum super vacanæ, si quis Christianorum assisteret, *D. Botfacc. Moral. Ged. voce Miracula*. Proin adversarii, dum exorcisant, præsentiam Lutherani non dicuntur tolerare, cum tamen Christiani olim adjurarent & expellerent Dæmonas, ipsis etiam astantibus paganis. Iudicet nunc Lector de prodigiis decem in domo Sanctuarii, quæ verpi jactitant, quod videlicet 1) nulla mulier ob odorem sacrificiorum abortiverit, 2) caro holocausti nunquam malum odorem efflaverit, 3) musca non sit visa in loco mactationis, 4) in die expiationis nihil pollutionis acciderit Sacerdoti magno, 5) ignem altaris nulla imbrium copia extinxe-rit, 6) nec fumum recta tendentem ventus dissiparit, 7) nihil defectus notatum fuerit in Homer (mensura) quam secundo die Paschæ Sacerdos implevit, sicut nec in panibus facierum, 8) Judæi in adoratione non compressi sint, 9) nullus scorpius eos momorderit, 10) nemo dixerit: Actor a circumstantibus. Idem solent dæmonia per Beelzebub expellere, dæmone prius lædente, mox remedia suggerente. Proin artificia hæc nequissimorum hominum sunt opera tenebrarum, & in angulo sæpissime peraguntur. Quid de effascinationibus memorandum, quas *Virgilius* lib. 6. *Æneid.* & *Lucianus* in *Dialogis infernalibus* memorant, de portentis lustratoriis, de Haro ex inferis reduce apud *Justinum* paræm. ad gentes? Quid de legendis Sanctorum in Ecclesia Pontificia, & aliis istius generis libris, quos multis contaminatos esse mendaciis ipsimet Pontificii agnoscunt, apud *D. Gerhard. Conf. Cathol. lib. 1. part. 2. cap. 15. & lib. 2. spec. part. 1. p. m. 1253. & seqq.* Quin ipse *Baronius* fatetur, studium iniquitatis fingendi miracula mox decedentibus Apostolis cœpisse; Johanni præsertim Apostolo, vix e vivis exempto, miracula mendaciter fuisse attributa, quod virgas in aurum, saxa in gemmas mutarit. Venditantne οἱ Φιλοσοφῶντες
miracu-

miracula apud Indos, a Missionariis edita? Audiatur *Acosta* lib. 6. de Ind. Salute cap. 4: *Quæ est prædicatio nostra? Quæ fiducia? Signa quidem non edimus*; id quod Autor des Jesuitischen Rückucks: Ruffs perinde, ac alia plura, Defensori Reginæ Suedicæ Christinæ cumulate reposuit. Et ipse quidem *Joh. Hussus* de fictitiis ejusmodi miraculis peculiarem librum emisit, in quo concludit, illa esse vana & nullius momenti; pro-ut v. g. maligni spiritus per malignos Sacerdotes procurarint sanguinem in hostia, jam consecrata, jam non consecrata, & imagine Crucifixi, in qua resina defluens habita fuerit pro sanguine Christi; imo quod Sacerdos Bohemicus ad decipiendum populum suo sanguine tinxerit hostiam. Conf. ea, quæ *D. Johannes Wunschelburgensis* docet apud *Gerhard. l. c. p. 1256*. Sed & *D. Nic. Hunnius* in Tractatu, quod *Ecclesia Romana non sit Christiana*, cap. 4. num. 29. recitat monumentum fraudis Monachalis, quod in cathedrali templo Lubecæ ejusque summo altari conspiciatur, ubi Mariæ simulacrum, disco mobili seu rotabili impositum, a tergo sic trahi possit, & a Sacerdotibus quondam tractum fuerit, ut supplicantes modo adversaretur, modo eosdem, sed liberalitatem spondentes, gratiose respiceret, addito gratiæ signo cymbali tinnitu. Simile τεχνήδον miraculosum in aliis quoque locis sub imagine Mariana exsculptum fuisse constat. Confirmat autem id, quod de Maria Lübecensi Hunnius jam jam retulit, etiam *Müllerus*, in seiner nothwendigen Vermahnung / wegen der irrigen Lehre des Papstthums pag. 74. ajens: In der Dom-Kirchen zu Lübeck am hohen Altar stehet ein Marien-Bild / welches sich bewegt / und bald den Rücken / bald das Angesicht gewendet hat denen / die dafür betheten / bißweilen auch einen hellen Klang von sich gegeben / welches man signum gratiæ, ein Gnaden-Zeichen genennet hat. Hinter dem Altar aber siehet man instrumenta, mit Fleiß zubereitet / daß man solch Bildniß ziehen und wenden kan / wie man will. Idem Autor ibidem hoc

mira-

miraculum Marianum *Πευδάριον* nobis aperit : In meinem Vaterlande zu Breslau in St. Dorothea Kirche stehet ein steinern Marien-Bild / welches vorzeiten oft geweinet hat / daß ihm die Thränen aus den Augen geflossen. Als man aber die Münche heraus geschaffet / und selbige Kirche gesehen / hat man gefunden / wie das Haupt in diesem steinern Marien-Bild ausgehölet / und mit Wasser gefüllet worden sey. Wenn nun ein kleines Fischlein in solches Wasser gesetzt wurde / und sich bewegte / drungen die Thränen dem Bilde zu den Augen heraus. O miram in falso miraculo verlutiam, quam vel ipsi moderatiores & cordatiores Pontificii Gyaris dignam profitebuntur, dicturi, hæc signa non infidelibus, sed credulis, imo simplicibus & male sanis data esse!

DE FALSIS DOCTRINIS, QVAS MIRABILIIARIIT
TALES CONFIRMATVM IVERE.

MVndus senescens patitur phantasias falsorum miraculorum, non secus, ac senex quispiam variis deluditur somniis. Ita jam olim suo tempore *Joh. Gerson*; ita & nos de strophis ejusmodi thavmaturgicis, quibus dogmata Papalia confirmatum euntur, & pro Apostolicis venditantur, sententiam ferre non veremur. Ineptissimus quippe doctrinam confirmandi modus est, ac risum meretur, si quis Romanam Ecclesiam vera dicere asserat, eo, quod in ea jam pisces sonora voce laudaverint *DEVM*; si quis dicat, jam mulum præcipiendo fuisse coactum, ut adoraret hostiam (quod *Bzovius* alicubi perterritus) jam domum per multa milliaria in ære volitasse, aut apes sacellum quoddam cum ostio, altari, fenestris, tintinnabulis construxisse, aut muscas per excommunicationem fuisse interfectas. O ludicra miraculorum simulacra! O mira & mæra crepundia! Sed enim *Tannerus*, vulneratæ, imo exulceratæ suæ causæ emplastrum applicaturus, inter usum & abusum miraculorum distingui oportere existimat, quandoquidem nihil non possit ad abusum trahi, si vel sacra sint Biblia, si vel Prophetica & Apostolica sit doctrina. Sed frustranea est hæc *Tanneriana*

exceptio. Veluti enim in falso auro nullus datur verus veri auri usus: Ita neque in eodem datur abusus, qui a vero usu discerni mereatur. Pari omnino ratione hypocrisis, mendacium, & falsa doctrina nequeunt ad abusum pertrahi, eo, quod unumquodque vitium sit morale quid, ad malitiam moralem, seu mavis, moralitatem malam determinatum, non autem indifferens aut μέσος, quod a bonitate aut malitia præscindat, aut ab usu & abusu abstrahat. E contrario legis de veris miraculis *Joh. Brentium in Esaiam pag. m. 109. Mart. Chemnitium LL. part. 2. p. m. 21. & Hugonem Grotium de verit. relig. Christ. lib. 1. pag. m. 46. 47.*

DE FALSIS VIRIBVS, à QVIBVS EMANARE MIRACVLA RECENTIVS PVTANTVR.

Sententia *Malebranchii* fuit, miracula V. T. facta ministerio Angelorum, ex voluntate DEI generali, quæ ab Angelis determinata sit, ita fuisse facta, ut Angeli non executi sint voluntatem DEI, sed DEVS obsecutus sit voluntati Angelorum, utque DEVS in V. T. tempore voluntate generali voluerit, seu lege generali sese obstrinxerit, ut id, quod vellent Angeli, Judæis regendis præpositi, ipse efficaciter præstaret. Hoc pacto DEVS non edidisset miracula pro consilio aut voluntate & destinatione particulari; sed solum Angelorum, ut causæ occasionalis, consiliis & determinationibus obtemperasset. *Spinoza* vero argumentum, qui miracula a viribus naturalibus derivat, inde probatum eunt nonnulli, quod leges naturæ universales sint mera decreta DEI, atque adeo omne id, quod adversetur his legibus, adversetur etiam naturæ divinæ. Etsi enim leges naturæ universales nexum habent suum cum decreto divino; non tamen necessarium, sed arbitrium habent nexum, ita, ut DEVS possit facere, ut ignis non urat, ferrum natans non descendat. Imo Deus multa potest, quæ sunt contra communem naturæ cursum; id quod ex mysterio incarnationis, mari rubro, ad instar muri stante, sole stante, corpore super aquis deambulante, resurrectione corporum, probat *D. Meisn. Phil. sobr.*

sohr. part. 1. pag. 1172. & seqq. DEI quippe potentia ad naturam determinari nequit, ut ille adeo nihil possit, nisi quod naturæ cursui sit consentaneum. Addeſis *Conimbric. ad lib. I. de gener. & corrupt. qv. 6. art. 2.* Ita ergo neq; statio solis, nec reſuscitatio mortuorum, nec cætera, ex viribus naturalibus ullo modo fieri poſſunt; ſed illæ ſunt falſæ vires. Eſſi enim miracula poſunt producere opus finitum; proficiſcuntur tamen a cauſa & potentia infinita; ceu creaturæ finitæ a creatoris potentia ortæ ſunt. Eſto inſuper: In miraculis non ſemper excludantur omnes cauſæ ſecundæ, ceu ventus vehemens ad reductionem maris contra Ægyptios; requiritur tamen, ut particularis ordo naturæ ſimul ad ſpeciale imperium divinum mutetur. Atque ita Deus, qui impervestigabiliter poteſt facere ſuper id, quod intelligimus, ſolus facit miracula. Præterea ſuſpenſio legum motus, a qua miracula deducuntur, ſi acyrologiſimum ſubterfugimus, aut eſt naturalis, aut præternaturalis, aut ſupernaturalis. Non naturalis: ſic enim fierent illa ſolius naturæ auxilio; nec præternaturalis: ſic namque & Diabolus plurima *Θαυμάσια* agit; reſtat, ut ſit ſupernaturalis. Ita vero nullatenus ex humanæ mentis imaginatione, verum ex ſupernaturali principio venit deducenda. Plura vid. apud *D. Grap. l. c.* Inſtas, quod miracula probent doctrinam, non doctrina miracula. Regerit *D. Kromayerus Theol. Poſit. Polem. p. 25.* hunc circulum non eſſe vitioſum, ſed probatum potius, ac reſreſſum demonſtrativum a notitia confuſa ad diſtinctam. Quorum enim naturam prius notitia confuſa delibaveramus, poſimodum, cum doctrinam penitus imbibimus, etiam accuratiori quadam perſpicientia nobis reddimus exploratam.

DE FALSA PROÆRESI ſ. INTENTIONE MIRABILIORVM.

TAlis ſubinde fuit capiditas lucri, affectatio ſui oſtentandi, deſiderium aliis imponendi, cum primis nocendi Eccleſiæ ipſiusque membris. Confer regulam nobis hic præſcriptam *Deut. XIII, 1, 2, 3.* Epiphanius *Hær. 66.* huiusmodi ferum nobis Thavmaturgum ſiſtit Manichæum, qui curans ægrotum eundem occiderit. Itaque non fiant miracula, Deum

tentando per *ἀποκρίσεις* Matth. X, 8. Act. IIX, 19, 20. & superstitionem; neque contra Ecclesiae ædificationem & charitatem proximi. Et hoc est, quod *Josephus Acosta* de miraculis, quæ Jesuitæ in novo orbe faciant, idque eum in finem, ut ex iis doctrinæ & Ecclesiae Papalis veritatem probare satagant, pronunciat, ajens: *Unum illud huic novo orbi potentissimum & ad fidem efficacissimum, & pene singulare miraculum necessarium est, mores cum fide congruentes.* Proin si vel maxime quædam vera ac divina miracula apud Indos ac novi orbis populos a Jesuitis fierent, nondum tamen evictum foret, omnia & singula doctrinæ capita, quæ in Ecclesia Romana proponuntur, esse certæ & immotæ veritatis. Siquidem de miraculis illis idem dici posset, quod de Novatianorum miraculis Bellarminus asserit, fieri scilicet illa ad confirmationem illius, quod in doctrina ipsorum adhuc est sanum atque integrum, Deo id, quod suum est, operante, ut infideles eo citius convertantur ad fidem Christi (prout v. g. de uno DEO in personis trino, de peccato, de judicio extremo, de Christo docuerunt) nequaquam vero ad confirmationem eorum, quæ in doctrina Romanæ Ecclesiae sunt corrupta ac depravata. Præpostera insuper intentio est efflagitantium miracula. Quales in Sacro Codice sistantur Pharaonis impius Ex. VII., 9. Diabolus Matth. IV, 3, 6. Scribæ & Pharisei, XII, 38. Marc. VIII, 11. Luc. XI, 16, 29. Pharisei & Sadducei Matth. XVI, 1, 4. Prætereuntes, Matth. XXVII, 40. Sacerdotes, Scribæ & Seniores, ꝯ. 42. Marc. XV, 32. Luc. XXIII, 35. Alter ex latronibus, ꝯ. 39. Nazareni, Luc. IV, 23. Dives epulo, in inferno consistens, XVI, 27, 30. Herodes, XXIII, 8. Judæi Joh. II, 18. IV, 48. VI, 30. 1. Cor. I. 22. quantumvis dari queant tempora, ceu exemplo Regis Achasi docemur, quibus signa petere sit licitum & iustum. Sed & notari meretur falsa proæresis ab utentium miraculis, & hærentium in hominibus, ceu instrumentis, quibus DEVS utitur in edendis miraculis Act. III, 12. XIV, 15.

DE FALSO s. PRÆSTIGIATORIO OPERANDI MODO.

HVjus monetæ sunt, dicis gratia, verba superstitiosa, gestus ludicatorii & incantatorii, in orgiis aliisque Ethnorum sacris adhibiti. Satanæ est DEI simia, & imitatur divina opera, producendo mirabilia. Idem efficit, effascinando sensus hominum, puta ex permissu divino, propter peccata ipsorum facto, ut istiusmodi præstigiis decipiantur, & subita corporum motio-

motione, oculorumq; frustratione præviam inducantur, ut modum productionis ignorantes constanter credant, falso putent, ac sibi persuasum habeant, ea vera miracula esse. Præterea hoc peraguntur modo falsa miracula, ut cum vera doctrina minus jungantur, nec cum seria veri Numinis invocatione suscipiantur, nec ad Ecclesiæ ædificationem, sed contra eam dirigantur, neque etiam a vera Ecclesia approbentur. Quam tamen Ecclesiæ approbationem vel ipse Bellarminus lib. 4. de not. Eccl. cap. 14. ad veritatem miraculi requirit ac postulat. Nisi peccata hominum Satanam redderent potentem, ne quidem pediculos creare posset; sed virga Moysis virgas Magorum devoraret, perinde, ac Christus opera Diaboli dissolvit, & caput serpentis potentissime contrivit. Apud supersticiosos autem homines imaginaria miracula, suggerente Satana, putantur esse genuina, & divinitus producta. Sic apud Ethnicos Claudia Vestalis, quo suam castitatem probaret, discinxit se, zonamque navi alligans, eam, quo volebat, deduxit: Turcia quoque Vestalis, quo suam etiam probaret pudicitiam, aquam Tiberi haustam cribro tulit usque ad Capitolium, uti tradit Plin. lib. 28. cap. 2. apud Perer. Disp. 3. in cap. 7. Exod. v. 29. Sic Vespasianus saliva sua cæco visum restituit Baron. Annal. ad ann. 71 n. 6. Sic Serapis apud Ægyptios symbola dedit, quibus Dæmones expellerentur. Zwinger. Theatr. p. 376. Diabolo per Beelzebub Diabolum expellente. Nonnunquam spiritus nequam, præsciens & intelligens terræ motum futurum, id se facturum simulavit, quod futurum videret. Baron. ad ann. 237. n. 8. Nonnunquam per panem eucharisticum morbi sanati leguntur apud miraculorum hamaxarium jam supra dictum Bzov. ann. 134. num. 19. Et apud Trithem. qu. 3. ad Maximil p. 25, 26. ipse Satanas custos porcorum introducit, falsum edens miraculum per schedulam quandam bacillo inclusam, qua Blasii cujusdam meritis lupi arcerentur a porcis. Simile judicium ferri debet super miraculo commentitio Formosi Papæ, cujus corpus a piscatoribus inventum, atque ad Templum S. Petri deportatum, in loculo positum, ab imaginibus quibusdam Sanctorum venerabiliter salutatum fuisse, nugantur. Huc meretur accenseri istud Crucifixi responsum, quod Thomæ Aquinati dederit, cum ei libellum super expositione Missæ obtulerit, rogans ferventissime, ut, si vera de eo scripisset, ostendere sibi dignaretur; cui dixerit Salvator: Bene de me scripisti, Thoma. Gerh. l. c. Quæ quidem recitasse est refutasse. Falsum quippe aurum

veri auri speciem mentiri potest, sistere id in rei veritate non potest. Ita ergo ficta sunt, non facta miracula. Nota quippe dignoscendi ea, num vera sint, num falsa & mendacia, non in approbatione Pontificis, sed in convenientia cum Verbo DEI quaerenda est. Præterea succedanea posteriorum temporum à primævis Christi & Apostolorum miraculis magnopere differunt.

DE FALSO ET EVANIDO PSEUDO-THAVMATVR- GORVM EFFECTV.

Distinctu quidem hic opus est inter ipsummet ministerium Thavmaturgicum, & perversam ejusdem applicationem. Illud est a DEO ordinatum; hæc a Satana trahit originem. Illud est verum, & convenientiam obtinet cum intellectu divino; hæc falsa est, & a Patre mendacii proficiscitur. Illud est bonum & voluntati divinæ consonum; hæc mala, iniqua, præpostera est, & a corrupta hominis voluntate pender. Secundum illud per nomen CHRISTI miracula fieri possunt Matth. VII, 22. adeoque effectus ille miraculorum verus producit, qui est DEI gloria, fidei ac doctrinæ confirmatio, piorum ædificatio: Secundum hanc inde resultat falsus effectus, cujusmodi est hominum seductio ac præcipitatio in barathrum infernale. Istiusmodi Thavmaturgus fuit Judas Ischariotes Luc. IX, 6. coll. cum *Matth. X, 1, 8.* Huic ex intentione divina Verbum poterat ac debebat esse odor vitæ ad vitam; sed ob perversam isthanc applicationem ipsi fiebat odor mortis ad mortem 2. Cor. II, 16. Similia judicant complures de Exorcista illo anonymo Marc. IX, 38-40. & Luc. IX, 49. eo, quod Iohannes, de eo sciscitatus, hanc tulerit a Sosandro instructionem *Matth. 40*: Qui non est contra nos, ille pro nobis est; ubi Biblia Ernestina hanc aspergunt paraphrasin, quasi dicat Christus: Wer sich nicht öffentlich wieder uns und unsere Lehre setzt/von dem wollen und sollen wir das beste hoffen/daß er uns zugethan sey/wiemol er sich nicht in meine Schule begiebt/und sich allezeit zu uns hält. Eadem Biblia hanc relationem ad fugam scandali referunt, utpote a quo Christus suos dohortatus fuerit. Alii applicant huc dictum Moſis de Eldado & Medado, prophetantibus, quo Iosua exceperit, prohibitionem hujus ausus prophetici suadentem: Wolte Gott/daß alles Volck des HErrn weissagete/und der HErr seinen Geist über sie gebe/Num. XI, v. 29. Sed & illa verba apud Marcum *Matth. 39.* Οὐδεις γάρ ἐστιν, ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῇ ὀνόματί μου, καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαί με, illustrant ex 1. Cor. XI, 3. & conferunt huc loca notissima Matth. VII, 22.

Act. XIX, 13. Luc. XI, 19. ubi verba Salvatoris ita dilucidant Ernestini: Weil eure Leute so in meinem Nahmen die Teuffel austreiben/ nicht gestehen/ daß solches durch Hülffe des Satans geschehe/ ihr es auch ihnen nicht Schuld gebet/ sondern sie eben damit/ daß sie die Teuffel in meinem Nahmen austreiben/ bekennen/ daß ich über die Teuffel Macht und Gewalt habe/ so seyd ihr hiemit überzeuget/ daß ich die Teuffel nicht/ wie ihr mir Schuld gebet/ durch Beelzebub/ sondern aus eigener Gewalt austreibe. Alii quoque Bileamum huc accersunt, cui DEVS Num. XXII, 20. hoc dederit mandatum: *Quicquid tibi dixerō, id facies.* Quod eatenus etiam Bileamus fecerit * , 18. XXIII, 5: Der Herr aber gab das Wort dem Bileam in den Mund/ und sprach: Gehe wieder zu Balak/ und rede also. Ubi denuo Ernestini: Er gab ihm ein/ was er reden sollte/ und würdigte ihn der Antwort/ nicht als wußt er seine Zauberey damit wolte gut heißen/ sondern damit er seine Verfluchung hinderte. Vid. Schol. Luth. ad v. 3. ubi sub nomine DEI præstigiatores suos adiisse memoratur. Neque dubium est, quin eo sensu huc alludatur 2. Petr. II, 15, 16. epist. Iud. 7. 11. Apoc. II, 14. O admirandum divinæ longanimitatis, sapientiæ & justitiæ temperamentum! O admirabilia judicia Supremæ Majestatis, humanis præjudiciis opposita! O admirandam temeritatis humanæ confusionem! O *μωρανσιν* oppido stupendam, dum homines, nescio qua titillatione ac prurigine laborantes, audent investigare causas, cur Summum Numen per Judam Ischariothen & similes ediderit miraculosa *ἐνεργήματα*, & has tamen apodictice perspicere nequeunt! O admirandam prudentiæ, modestiæ & humilitatis Christianæ comprobationem, qua divina sanctitas arrogantiam hominum, curiositatem & *δοκνητισοφίαν* minus sanctam, vanam atque inutilem deprimere, supplantare & sub fidei obsequium captivare assolet! Ecquis enim ipsi fuit Confiliarius, cum decerneret vel per impura vasa margaritas ac cimelia aurea beneficiorum suorum hominibus subinde offerre & conferre, cum hoc suum Decretum ipsis in Verbo revelaret, cum impurorum vasorum conversionem ipsemet serio intenderet, cum perseverantibus in impœnitentia Thaumaturgis impiis ac nefariis tanto graviora minaretur? Mirabilis utique est hæc judiciorum divinorum dispensatio, qua in ruborem datur omnis Donatisticæ ac festinatæ incredulitatis præcipitatio, qua ministerium qualitate aut virtute Ministri, non suo ipsius pretio, nec divina, qua gaudet, origine æstimatur. Scrutator vero Majestatis opprimetur a gloria, ceu Vulgatus habet, Prov. XXV, 27. Luth. Wer schwer Ding forschet/ dem wirds zu schwer. Sed de his satis. Falsus insuper

per est *ψυδοβαμματαργων* effectus, Verbi & Sacramento-
rum vilipendium, quod ipsummet in animis infidelium ra-
dices agit. Qui abusus permovet *Augustinum*, ut lib. 22, c. 8. de Ci-
vit. DEI scriberet: *Quisquis adhuc prodigia inquirat, ut credat, magnum*
ipse prodigium est, cum, toto mundo credente, ipse non credat. Idem
ibidem, hodiernum per Verbum & Sacramenta fieri miracula, pa-
lam asserit. Nihilofecius falsorum miraculorum effectus sunt, ceu
innuimus, hominum delusio & Satanica seductio. Id enim agit
spiritus iste malignus, ut sese in Angelum lucis transformet, & per
instrumenta nequitiae suae miseris mortalibus perditae imponens, a
Deoque securius eosdem avertens, aeterna ipsorum damnatione
exultet. Quemadmodum igitur verus verorum miraculorum ef-
fectus in eo ponitur, ut Thaumaturgi missionem suam & doctri-
nam, a se propositam, divinam originem ostendant; quo nomine
Brentius plus vice simplici miracula cum literis credentiae, quas
Legati pro legitimatione, ceu ajunt, sua exhibent, comparavit: Ita
spuriae ac supposititiae operationes & *κακοζυλῖαι* divinorum ope-
rum effascinare ac dementare solent illos, quorum corda non ter-
rae bonae & fertilis, sed calcatae, petrosae ac spinosae indolem cum
extrema pervicacia repraesentant. Conf. de miraculis San-
ctorum, quae Bellarminus innumera praeendit, quibus illi sapif-
sime demonstrarint, se audire preces viventium, & posse ac vel-
le eos juvare, a quibus invocantur, D. *Qvenstedium* LL. part.
IV. p. 364. b. Siquidem miracula absque Scripturarum testi-
moniis non sunt approbanda, cum sint fallacia, & virtute Satan-
ae fiant ad homines decipiendos, Satanasque ea vel mediate per fu-
ros ministros edat; qualia prodigia describunt Moses Ex. VII, VIII,
Christus Matth. XXIV, 24. Paulus 2. Thes. II, 9. & Lucas
Aetor. VIII, 9. 10, 11. Videantur *Theophylactus* in cap. II. Luc. & D.
Kromayerus Theol. Posit. Polem. in examine quindecim notarum
Ecclesiae Bellarminianarum, quas inter gloria miraculorum posita
conspicitur, p. m. 1017. & 1025. & , qui primo ponendus loco
fuerat, Megalander Lutherus, cum alibi passim, tum praecipue in
Tomis Jenensibus, ubi de Pseudo-semiis miraculisq; deceptorii ipse
sedecumatam dixit sententiam, Tom. II, fol. 32. 446., 447. IV,
136. 499. V, 469, 482, 478, 479. VII, 76, 77, 207. 208.

F I N I S.

P*roldto* faveant frondosæ Numina Pimples,
Numina Pieriis concelebrata jugis.

Dignus erit, cujus studiis præbere corollas
Sustineat largo blanda Thalia sinu.

Candor, in hoc ævo res inter mortua pene,
Signat ei frontem condecoratque piam.

Ardor & assiduus docti certaminis usus
Miraculis falsis vera brabea parat.

*Ita Diligentissimo Domino Respondenti
suo applaudit*

Christophorus Sonntag
D. & Præses.

Thesauros vastos, argenti pondus & auri
Interdum vitæ quærit avara manus;
Colligit, adradit, nunquam satiata quiescit;
Cum tamen ingenium pauper egensque
manet;

At, quid divitiis solet esse ruentius orbis?

Nunc fortuna rapit, quod modo larga dedit,
Felix, thesauros quisquis virtutis & artis

Congerit; hos nullus fur neque flamma rapit
TV, quem Salanæ jam, DVLCIS AMICE,
Camoenæ

Nutrierant, quemq; hæc Norica Musa foveat,
Doctos thesauros portas hinc inde paratos,
Solers quos studium legerat atque labor:

Nec

Nec hos occulto demum sub pectore celas,
 Ingenii monstras ore disertus opes.
 Dum scandis Cathedram dignus sub Præside
 Magno,
 Non poteram plausus hos reticere meos:
 Mox velit ipsa Tuis Divina potentia coëptis
 Aspirare, bonus finis ut eveniat.

Ita

ob eruditionis specimen feliciter editum

Doctissimo Domino Respondenti,
 Commensali honoratissimo gra-
 tulabundus applaudit

M. Georg. Frid. Deinlinus.

TEmpore quod nostro cessent Miracula vera,
 Sedibus ex doctis Dulcis Amice probas.
 Sed, fallor? dantur Miracula tempore nostro;
 Ipse es Miraculum, verba diserta ciens.

Pauca hæc Honori Nobilissimi Domini
 Respondentis Amici Honoratissimi
 dicavit

*Ob egregium eruditionis specimen publice
 editum applaudens*

Iohannes Christophorus Romig
 Opponens.

A Veris conficta dolo miracula turpi
 Discernis peragisque tuas cum laude fre-
 quenti

Partes.

Partes. Maſte novo ſtudio ! ſic ibis ad aſtra,
Et referes tandem laudum præconia digna;
Quod precor & voveo ſemper de pectore toto.

*Amicitiam ſuam, quam dulce indigena-
rum nomen fundavit, teſtaturus, ap-
poſuit hæc gratulabundus*

Albertus Ströbelius
Furta-Onoldinus.

D*Vm PYROLDTE, doces MIRVM, mi-
racula præſtas*

*Ipſe tui Ingenii, quare mea gaudia teſtor,
Atque tibi bona cuncta precor, PROCERES-
que benignos.*

In honorem

Nobiliffimi Domini Reſpondentis amici
e paucis colendi paucula hæcce cum
voto ad Vota fluentis proſperitatis
addidit

G. S. Heumann.

PYroldt vigebis per pia ſæcula
Quem clara virtus laudibus extulit
Pyroldt vigebis qui mereris
Neſtoreo decorandus ævo.

Hæc gratulabundus ſcripſit

G. Grævius
Lipſienſis.

Sic

Sic PTROLDTE, tui ingenii monumenta
 probasti,
 Dum specimen præsens, Veterum miracula neganda
 Rite docet, contra fidei MIRACVLA tollit.
 Perge tuis studiis incumbere, perge tueri
 Doctrinam fidei, quo te suavissima ONOLDI
 Vrbs tandem valeat nitida exornare corona.

Paucis hisce Nobilissimo nec non doctissimo
 Domino RESPONENTI, Amico
 suo æstumatissimo, de publico erudi-
 tionis specimine aggratulatur

Ioh. Andr. Haafs,
 Opponens.

Was des Betrügers Werck / was Gottes
 Finger sey/
 Wird heute uns von DZK nicht ohne Ruhm
 gelehret.

Fahr fort! der Himmel steht dem guten Vor-
 satz bey

Und Pallas wird den Fleiß nicht lassen unbeehret.

(Wegen Mangel der Zeit setzte diese wenige
 doch wohlgemeinte Zeilen dem Hrn.
 Respondenten zu Ehren mit bey

Johann Friedrich Schmidt
 Oppon.